
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

GYMNASII ETHICI EXERCITATIO IX.

De

Liberalitate & Modestiâ.

Quam

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

Placidæ ventilationi subjicit

SIMON DORFLERUS,

Silesius.

In Gymnasio Gedanensi.

Ad diem Octobr.

Horis locoq; destinatis.

DANTISCI,
Typis Viduæ GEORGII RHETII
Anno M. DC. XLIX.

EXERCITATIO IX.

De

Liberalitate & Modeſtiâ.

VIrtus directa ſubjectum proprium inprimis perficiens hactenus fuit, *Temperantia & Fortitudo. Seqvitur*, qvæ aliud qvid etiam reſpicit, ut & illud juvetur, fructusq́; virtuoſi Actus ad alium inprimis derivetur. Hoc in ſumptu, honore, converſatione, & actu externo cum alio regendo moderandoq́; inprimis fit. Unde *Liberalitas*, *Modeſtia*, *homiletica Virtus*, ſimilisq́; Virtus. *V. d. 7. t. 1.*

2. *Liberalitatis Vox* interdùm *Libertatem* animi ſervituti oppoſitam, ſic liberalitate liberos contineri ſatius, qvàm metu, *Terent. And. a. 1. ſ. 1.* Et liberaliter vel ſerviliter aliqvem educari dicitur: *interdùm Benignitatem*, ut, cùm pœna remittitur aut condonatur, & clementiam includit, qvô de ſignificato *Crellius C. Grotium C. 2. & 6.* contendit, ac exempla ex *Cicerone ac Manutio* adducit, *vel* omnem Virtutem in pecuniâ occupatam, ſic Magnificentiam, *vel* officia promtè communicantem, ſic officioſitatem continet, *vel* in pecuniâ moderatâ occupatam notat, ſic hìc ſumitur. *A Liberô ac liberali* dicitur, qvòd maximè liberô & ingenuô digna, vel alios benefactis liberet, vel liberè alii ſubveniat. Dicitur & *Benignitas*, *Beneficentia*, *Largitas. &c.*

3. *Realis Tractatio Definitione*, ſubjectis, Diviſione, Cognatis, & Oppoſitis conſtat.

4. *Definitio eſt: Virtus moralis directa, medium prudentia circa opes moderatas & privatas dandas & accipiendas ſervare docens.*

5. *Genus* Virtus moralis directa est, qvæ d. 4. patent. *Differentia è formali versandi Ratione, & objectô circa qvod sumitur.* *Formalis Ratio* est munus & officium, qvô Liberalis ut talis se in objecto suo tenere debet, ut nomen & rem liberalis justè tueatur. Hoc medium prudentiæ servare est. Illud qvid sit *d. 4. t. 5.* patet. Officium hoc modum servat, *& in dandô, & in accipiendo. In dandô liberalis animô promptus, munere consideratus, circumstantiis circumspectus,& Intentione honestus sit. Promptus,* ne tædiosè, torpidè, cum irâ, rancore, tristitiâ, molestiâ, det, undè grave accipienti munus fiat. Bis dat, qvi citò dat. Et Virtus habitus est, qvi promptè & faciliter operari docet. *V. Sirac. 15. v. 11. 2. Cor. 9. v. 7. seq.* Undè Liberalitas non doni magnitudine, sed donantis promptitudine æstimanda. Nam Beneficium inviti velut Panis lapidosus est, qvem esuriens accipit, sed comedere neqvit. *V. Senecam l. 1. de Benef. C. 7. & l. 11. C. 7.* Et liberalis etiam non rogatus dat, ut Sol ultrò splendet.

6. *Munere consideratus, ut qvantitatem & qvalitatē,* suam facultatem, & accipientis necessitatem, ac similia spectet. *Ne* aliis donet, & ipse egeat, hoc enim ratio prudentiæ non svadet: Et, ut munus *utile*, non noxiū sit, hoc enim onus, non munus est; *& proprium*, non alienum, secùs transfers bona,non offers, ut Papa aliena regna dans. *V.Benzo l.3. nov.Orb. C.3.* Sivè acqvisitum,sivè hæreditatum proprium sit, *& honestum*, non inhonestum sit, hoc enim vitio sordet, non beneficio splendet. Sic *Gnostici* & uxorem ad stuprum dandam censebant: *Nec moraliter* inhonestô modo partum sit; ut fœnore, Lenociniô, Rapinâ, Aleâ, Piraticâ, Potatione. Eleemosyna inde dari potest, *Dan. 4. v. 24. Luc. 11. v. 41.* Qvæ magis Theologicæ & Spiri-

Spirituali virtuti, qvàm civili accedit, sed civilis Liberalitas exerceri propriè indè non potest. *Carnificinam* qvidam hic jungunt, nè indè acqvisitum sit. Sed Carnifex, si probus & bonus, moraliter inhonestus non est, eoq; liberalis esse potest, etsi Politicè status ejus informior habeatur; qvod Naturâ sui tamen non est, cùm Judicis Administer & Executor sit, & DEI aliùs judicium est, *2. Chron. 19. v. 6. 7. Vt in Politicis* ampliùs docetur.

7. *Circumstantiis circumspectus, ut* Locus, Tempus, Personæ, qvibus, & coram qvibus datur, attendantur. Sic non dandum Loco, qvo tu Te ostentes, alter pudefiat. *V. Matth. 6. v. 2. Tempus*, ut tempestivè, ubi succurri potest, non extra illud, ubi extractum istud. Sic citò dare Beneficium auget, tardè minuit *t. 5. Qvibus*, ut illos deceat, non dedeceat. Sic Nero militi 4. tonnas auri dedit, cui 1000. Imperiales satisfecerint. *Dion. l. 61.* Alexander Urbem dedit, cui pagus satis, &, non qvid te, sed me deceat, dixit. Stultâ voce, cùm Regia videatur. *V. Sen. 2. d. Ben. C. 16.* Et ut *dignus* detur, non indignis, nè gemmas porcis projiciamus, *Matth. 7. v. 6. Coràm qvibus*, nè coràm illis, qvi accipienti opprobrent, aut danti insultent. Sic enim ingratum beneficium redditur. *Intentione honestus*, nè pravô fine fiat. Virtus enim sub formali honesti exercenda, *d. 3. t. 8.* Sic si Lucri, Gloriæ, Ostentationis, Honoris amore, aut inhonestâ spe, damni metu, importunitate petentis vitandâ detur, non Virtus est. *V. Matt. 6. v. 12.* Sic qvi ob Potationes dant. &c. Pulcrè *Ovenus l. 5. Vir justus dat cuiq; suum, sed te dare oportet*

Divitibusq; suum, Pauperibusq; tuum.

8. *In accipiendô vel alius, vel ipse liberalis* spectatur. *Alius*, qvi accipit, sit *egenus*, ut dandis egeat, etsi aliàs magno

magno Genere & statu sit, & infortuniis dejectus. *V. Sirac. 29. v. 12.* *Dignus*, ut mereatur donum, non pœnam: *Honestus*, non inhonestus, noxius, contumax, aut validus mendicans, Erro, Cingarus, otiosus, scurra. *V. Camer. C. 1. c. 16. 17. C. 2. c. 34. 75.* Qui ergasterijs coercendus, non in vitijs alendus est, nisi fortè ignotus sit, ubi *Aristot.* illud valebit: οὐ τρόπῳ, ἀλλὰ ἀνθρώπῳ, non Moribus, sed Homini: *Et dignus vel Ecclesiasticus*, qui in Scholâ & Ecclesiâ laborat. Cui Dei jussu dandum, *Num. 18. Deut. 26. 1. Cor 9. v. 9. seq.* *vel Politicus*, qui in Republ. Indè Tributa, Adærationes, Capitationes, Jugationes, necessariæ. *V. Rom. 13. v. 6. 7.* Item *Amicus*, qui magis Ignotô juvandus, sed usq; ad Aras, non, ut Agesilaus, omnimodè: *Vel Cognatus* & domesticus est, ut Parens, Frater, Soror, cujus ratio habenda, & negligens fidem negavit, *1. Tim. 5. v. 8.* Et à nobis ipsis diversus, Virtus enim communicans Liberalitas est, qvæ alij subvenit. Prodesse nobis possumus, liberales aliis sumus. Sic clemens, misericors in alium, non teipsum. *V. Senecam 5. d. Benef. C. 9.*

9. *Liberalis ipse ab alio accipiens prudens, moderatus, & necessitate inductus sit.* *Prudens*, ut ab eo, qvi potest & vult dare, accipiat, non quovis promiscuè. *Moderatus*, ut necessarium sumat, non nimium, nè sibi adjumentum, alteri detrimentum sit, & modô fineq; licitô, non illicitô, ut & ipse aliquando det. *Necessitate inductus*, non cupiditate, avaritiâ, tenacitate, cum satis habet, undè det. Liberalis enim magis dando, quàm accipiendo, consistit, daren. præclarius, qvàm accipere. *Act. 12. v. 35.* Et magis regium est, ditare, qvàm ditescere, ut *Ptolomæus Lagi Filius* dixit. Undè *rarò ditescit Liberalis*, qvia magis effundit, qvàm congerit: Et magis beneficiarios suos amat,

qvàm

qvàm ab illis amatur, sunt enim velut opera sua, qvæ Causa magis amat, qvàm illa Causam: Qvia Amor magis descendit, qvàm ascendit, ut à Deo in Creaturas, Parentibus in Liberos, Benefactore in Beneficiarium. Major etiam honestas in dando est, etsi in capiendo major Utilitas sit. *Et in conservando* accepta, liberalis prudens, nè temerè perdat, cùm justiùs retineat, Et moderatus est, nè justo rigidiùs servet, nil alteri communicet. Semper enim magis dare, qvàm accipere hìc spectatur, ac reciproca accipiendi & errogandi vicissitudo est.

10. Ex Objecto circa Opes moderatas versari dicitur. Objectum internum *Cupiditas* Opum mediocrium, externum *ipsæ Opes* mediocres sunt, h. e. qvævis Possessio, cujus pretium nummô ut mensurâ, ex communi hominum Consensu & institutô mensuratur, ut Supellex, Agri, Pecora, Libri, Arma, Utensilia, Vestes, *&c.* Undè promptè hæc donans liberalis vocatur. Olim *Merces* pro Mercibus commutatæ, *Plin. l.33. C. 3.* Americani pro ludicris Aurum & Argentum, in Mexico fructu, in Peru foliô res commutant. Necessitatis tempore è coriô, stannô, papyro, nummus paratus, & eo res commutatæ. *V. Dec.3.d.6.t.6.* In hôc verum Objectum Liberalitatis esse patet. *1. Qvia Denominatio Liberalis* indè est, si qvis pecunias promptè eroget, non si temperanter, clementer, justè, modestè, se gerat. Sed undè liberalis denominatio præcisè sumitur, id proprium ejus Objectum esse oportet. 2. *Qvia Opposita* Liberalitatis ab abusu pecuniæ dicuntur. Ut, si quis nimiùm eam effundat, prodigus, si nimiùm retineat, tenax & avarus, si nimis desideret, cupidus vocatur. E. ipsam Liberalitatem in eô Objectô versari oportet.

11. 3. *Si vox extendatur ad Officiorum etiam Communicationè*, sic & *Officiositatem* amplectitur. Sic *Ambrosius aliiq.* Opera, pecunia, subsidiô Liberal. impendi dicunt. Si communi significato sumatur, solum sumptum & opes respicit, & Officiositatem pro cognato habet, *t. 15.* 4. *Abusus* Vocis Liberal. est, si circa Effecta Iræ, & consequenter Iram versari *dicas*, ut liberalis sit, qui liberaliter Culpam condonet, Iram deponat, de Jure suo remittat, ut *Crellius* vult *c. Grot. c. 11.* Hoc n. Mansvetudinis, Lenitatis, & Clementiæ est, nec in Ethicis unquàm hoc Liberalitas dictum, nec apud Latinos Scriptores facilè invenietur, etsi Liberalis Vocem ad varia extenderint, *t. 2.* Nec vocum usitata significata novare aut convellere nostrum est. *d. 1. t. 6.* 5. *Opes, Sumptus, & Divitiæ per se* naturaliter nec honestæ, nec inhonestæ sunt, nec bonum, nec malum faciunt, sed indifferentes sunt, & Usus earum legitimus aut illegitimus, moderatus aut immoderatus, virtuosum & vitiosum facit. Sic Cibus, Potus, per se indifferens. Usus ejus Virtutem & Vitium facit. Ex Veteribus *Hieronymus & Pelagius*, ex Novellis *Photiniani, ut Smalcius C. 5. de div. Christi.* Et *d. 7. c. Frant. t. 142. Ostorodus, & Anabaptistæ*, divitijs in Christiano iniqviores sunt. Sed nuspiam in N. T. absolutè eæ rejiciuntur aut reprobantur, sed bonus earum Usus præcipitur. *Luc. 16. v. 9. Marc. 10. v. 24. 1. Tim. 6. v. 18.* & Liberalitas commendatur. Nisi singularem vocationem habeas, ut Juvenis *Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.* Hi etiam Communionem Opum & Divitiarum introducunt, qvod & Theologicè, *Prov. 5. v. 17.* & Ethicè, ut qvod propriam in morato Liberalitatem tollit, & Politicè, nam studium defendendi publica evertit, inconveniens, Apud *Papistas* voluntaria

ria paupertas per modum Consilij in Monachatu svadetur. *V. Bellarm. l. 2. d. Mon. C. 20.* Sed nî peculiaris Dei hìc vocatio sit, ut in Apostolis, etiam id vix licitum est.

12. *Divisio Lib. ex speciebus in Sacram*, qvæ in re sacrâ & sacri finis ergò, ut eleemosyna, de quâ in Theolog. Propriè enim huc non pertinet, etsi analoga sit, *t. 6. & Civilem* est, quæ ob finem civilem exercetur. *Hæc sumptuaria*, quæ sumptus & munera erogat, *t. 5. 6. Et tractatoria* est, quæ convivia & hospitia dispensat, & *Hospitalitas* dicitur, *Liberalitas, peregrinos & hospites benevolè complectens, ac hospitalibus Officijs proseqvens est.* Ejus *Officium* comis exceptio, liberalis tractatio, & amica dimissio est. *Oppositum* πολυξενιά & indiscreta omnium hospitalitas, & ἀξενία ac Inhospitalitas est. De Jahele Sisseram interimente an hospitij Jus violârit, *t. 10. Dec. 3.* visum.

13. *Ex Gradibus in communem & singularem est*, quæ communem gradum transcendit, & *Magnificentia dicitur, Liberalitas sublimior in magnitudine sumptuum decorum publicæ honestatis gratiâ servare docens.* Qvidam specie ab illâ diversam docent, ut *Arnisæus l. V. Pol. c. 5. Gutkius d. 7. Eth. q. 1. Elerus, Evenius, Acciaolus, aliíq́.* *Alij* gradu differre volunt, ut *Piccolomin. gr. 4. C. 29. 49. Alstedius Eth. 3. c. 16. Timpl. c. l. q. 24. Keckerm. l. 2. Eth. c. 6. Casus, Vrsinus, Hornejus, Bartholinus, aliíq́.* Estq́; *Aristotelis 4. Nicom. C. 4.* qvanqvam Timplero contrà videtur, ubi Magnificentiã magnitudine excedere Liberalitatem ait. Unde Liberalitatem esse eam, conseqvitur, & sic non totâ specie differre dicetur. In his enim non licet affirmare unum de altero, ut non, Justitia est modestia, Liberalitas Temperantia, &c. Qvod hìc licet. *Patetq́, Qvia utriusq́*

idem objectum, ſumptus, publicum enim & privatū modum tantùm mutat, non ſpeciem. Sic eqvus, liber, publicus & privatus, ſpecie idem, modo diverſus: *Modus verſandi in objecto* idem, medium in ſumptibus ſervare, *finis* idem, honeſtas moralis, & *oppoſita eadem*, Sordities, avaritia quædam in publico & ſplendido ſumptu, ut avaritia in privato & mediocri, & luxus, prodigalitas in publico eſt. Modus aliqvis hic diverſus eſt, & modale diſcrimen facit. Liberalis in mediocri ſumptu, Magnificus in magno, ille prodeſt, hic ſplendidè, publicè, magnificè, prodeſt. *Si latè ſpecie differre* ſumas, pro diverſo modo & objecto ſpecialiter modificato differre, ut alius *modus objecti in unâ*, *alius in alterâ ſit*, ſic ſpecie differre dici poſſunt, non ſtrictè. Et ſubjectorum diſcrimen, publicum & privatum, magnum & parvum, ſplendidum & abjectum, *accidentale diſcrimen, non ſpecificum & eſſentiale faciunt.* Ut pauper & dives ſtatu & accidente, non ſpecie, differunt. Sic pauper nequit magnificus eſſe. (quanquam affectu quidam poſſe ajunt, non actu. Sed affectus hic non ſufficit, quia ſumptus ingens requiritur, qui non in paupere,) etſi liberalis, quia plus illa requirit, quàm hæc.

14. *Subjectum ejus perſona publica*, honeſta, ſplendida eſt, non pauper & inhoneſta, ut latro, meretrix. *Objectum ſumptus ingens &* opus ſumptuoſum, ut Templum, Academia, Gymnaſium, Curia, Armamentarium, Arx, Stipendia lauta, domus, hortus, prædium. *Exceſſus* luxus, ut in Nerone, Caligulâ, Heliogabalo, Antonio, & Cleopatrâ: *Defectus* ſordities eſt, ut in Fl. Veſpaſ. Peſcennino, Amurathe III. Turcâ, &c. Quam *Machiavellus* contra decorum ac ſtatum Principi ſvadet, & pejora hæc vitia vitijs liberalitati oppoſitis ſunt, quia publica, & è perſonis peccantibus conſpectiora. *V. c. l. t. 12.*

15. *Co-*

15. *Cognata liberalitatis* ſunt virtutes, modo agendi aut medio ad eam congruentes. Ut *benignitas*, quæ & *officioſitas*, prudenter officia offerre, & promptè exhibere docens, de eâ *Seneca d. Tranq. C. 11. Sedulitas*, Virtus ad officium proprium faciendum & acquirendum, undè alij benefacias, movens, de quâ *Idem Ep. 94. Sufficientia*, Virtus deſiderium opum moderans, & contentationem ſtatûs ſui inducens, de quâ illud: Victus & amictus ſunt divitiæ Chriſtianorum. *V. Ames. l. 5. Caſ. C. 57. & l. 2. medul. C. 22. Parſimonia*, Virtus providè acquiſita cuſtodiens, ut utiliter expendi queant. *Oppoſitum ejus Illiberalitas eſt*, quæ *& Exceſſu* fit, ut Prodigalitas, Vitium immoderatè bona profundens, quod ſimplex & complexum eſt, ac plerumq; Juvenum Vitium eſt, *& Defectu*, Avaritia, Vitium, nimiùm Bona corradens & tenens, quod Tenacitas, Quæſtuoſitas, & Illiberalitas ſpecialis eſt, cùm dando deficitur, & undecunq; nummus corraditur. Plerumq; Senum eſt, & pejus vitiū prodigalitate eſt; quia plùs à virtute recedit, nihil dare, quàm nimium, tenaciùs inhæret, difficiliùs corrigitur, plùs incommodat, & Reip. magis nocet, nec officium ullum tàm ſanctum, quod avaritia non contaminet. *Cic. p. Qvin. t. 26.* Ac omnium malorum radix eſt, *1. Tim. 6. v. 10.* Cùm prodigus quibuſdam proſit, & publicè aliquando prodeſſe poſſit: Avarus nemini prodesſe cupiat.

16. Sic *Liberalitas* viſa. *Modeſtia* à modô & modicô dicta, quòd modum honoribus ſtatuat, aliàs humilitas, demiſſio, *eſt Virtus directa, Medium Prudentiæ in honoribus veris, debitis, & mediocribus, honeſtatis gratiâ ſervare faciens.*

17. Genus Virtus directa eſt, *V. t. 4.* Medium Pru-

 dentiæ

dentiæ *c. l.* patet. *Objectum* Honor debitus & mediocris est, sub quo quodvis honoris signum, Vestis, Cultus, Servi, ædificia, convivia, continentur. *Honor est Officium Virtuti debitum, meritum ejus repræsentans,* ex *Scaligero ex. 317. f. 3.* Et *Objectum* Virtutis est, ut hìc, & *Effectum*, quà Virtuti debetur; & *Signum*, quà exhibetur, & extrinsecè promitur. Ob Virtutem enim id fieri debet, vitio nullus honor haberi debet. Medium prudentiæ modestia in eô appetendo, acquirendo, admittendo, respuendo, acqviescendo, exhibendo, & servando tenebit, ut Subjectorum, modorum, quanti & qualis, Circumstantiarum, & similium justa ratio habeatur. Appeti & haberi honorem à Christiano posse Scriptura *1. Reg. 3. v. 13. 1. Tim. 5. v. 3. 17. Rom. 13. v. 7.* & Natura docet, ut quòd honor Virtutis medium, incitamentum, præmium sit, bonæq; famæ Caussa sit, & autoritas aliorum. Sic *Horat. l. 1. Ep. 17. Aut Virtus nomen inane est,* aut decus & pretium rectè petit experiens Vir. Qvicqvid *Anabaptistis, Carlstadio, Enthusiastis, &* similibus videatur. *V. Dec. 3. d. 6. t. 8.* De Honore varia quæruntur, quæ *c. l.* videas.

18. Ex *Objectis circa honorem & honoris signa*, ut Vestes, ornamenta, ædes, *ex gradibus communis & singularis* dici potest. Hæc specialiter *Magnanimitas dicitur, Virtus circa magnos honores appetendos & servandos medium prudentiæ servare docens.* Virtutem esse *Gualandus & Kekermannus* negant, deqvo *c. l.* videas. Christiano eam comcompetere *Anabaptistæ & alij* negant, & humilitati contrariari censent. Neutrum verum, ut *Deca 3. d. 6. t. 18. 22.* ostensum. Magnanimus ut publicus, virtute aliis eminens, excellens & sublimis, ut privatus, peccator, cum DEO agens, humilis & demissus esse potest. *Gradu* à modestiâ differt, non specie. *Oppositum immodestia* est, qvæ excessus & defectus est, de qvo latiùs *c. l.* Et aliàs agi poterit.